



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De Smae. Trinitatis Mysterio.

Dissertatio.

Scriptis D. Philippus Claramunt, O. S. B. mon. Montserratensis.

a) Tres in Deo Personas catholici profiteamur, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ita ut subsistant tres in una numero natura, aut in tribus una natura subsistat, juxta illam Symboli Athanasiani sententiam: „Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.“ Hanc veritatem non nisi per fidem novimus, quia licet facta mysterii revelatione quaedam veluti vestigia Trinitatis mens humana in rebus creatis inveniatur, verum quidquid perfectionis, ordinis et pulchritudinis in creaturis deprehenditur, optime explicatur per Dei sapientiam, bonitatem atque potentiam, quae sane citra revelationem concipi a nobis possunt absque trinitate Personarum. Praeterquam quod adeo nostrae superat mentis aciem hujus naturae mysterii, ut terminorum quibus illud enuntiatur, nexum concipere, etiam post revelationem, omnino non valeamus. Nec solius ratione celsitudinis suae nobis est incomprehensibile mysterium istud, sed cum naturali insuper mentis nostrae evidentia prima fronte pugnare videtur. Contradictionem sane non exhibet in terminis propositio illius, non enim dicitur tres Personas esse unam personam, sed unam substantiam: nihilominus contradictionem propositio ipsa importaret, si verificaretur in Deo quod cum veritate intelligimus de ente creato, personas videlicet non multiplicari nisi multiplicentur naturae: unde non immerito opineris quod seclusa revelatione, licet non possemus ex evidentia impossibilem asserere pluralitatem personarum in una numero natura, verum

factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.“ Hoc autem quod fides docet, ratione theologica sic declaratur. Virtutes vitales quibus Deus operatur, intellectus et voluntas esse noscuntur: ex ordine proinde in exercitio harum virtutum pendet ordo in productione Personarum. Filius igitur non esset primae productionis terminus, si intellectio non esset prima operatio naturae divinae;¹⁾ et similiter paternitas in eadem hypothesi non esset proprietas Personae primae vel improductae sicut proprietates ejus non est spiratio qua Spiritum S. producit, quia communis est ei cum Filio; si enim Filius non esset Persona ordine secunda, secundae Personae existentia vel productio praesupponeretur generationi ejus, et sic necesse esset ut duae Personae essent unicum principium generationis, sicut sunt spirationis, nec enim alia de causa sola Persona prima Pater est, nisi quia prima productio, quae est generatio, solius Personae improductae praesupponit existentiam, omnis quippe operatio divinae naturae omni Personae divinae indiscriminatim tribui debet, dummodo Personam supponat existentem vel productam, siquidem perfectio vitae divinae tota est in Personis singulis, et sic nequit divina natura aliquid in una Persona operari quod in alia non operetur, et proinde operatio productiva quae duarum Personarum existentiam praesupponat, debet ambabus tamquam unico principio convenire; tribus autem Personis nulla operatio productiva (ad intra) potest esse communis, quia Persona quae ordine ultima est, non potest esse nisi productionis terminus, cum nulli praesupponatur productioni, sed fructus tantum sit productionis secundae. Ratio igitur termini et principii in processionibus divinis nullam inter Personas differentiam importat secundum perfectionem earum. Et re quidem vera, procedere a Patre per generationem proprium est solius Filii, sicut proprium est Patris Filium per generationem producere; sed vitae perfectio quae in Patre requiritur ad generandum, tota per generationem ipsam communicatur Filio, adeo ut si Filius, qualis e Patre nascitur, esset Deus distinctus a Patre, seu haberet naturam numero distinctam a natura Patris, ipse quoque generaret alium Filium; sed cum natura Filii, licet infinite perfecta, naturae Patris sit numerice identica, impossibile et absurdum est quod Filius producat alium Filium, quia quod per virtutem divinitatis fieri potest generando, totum factum est productione ejusdem unici Filii cujus perfectio adaequat totam virtutem Patris. Similiter Spiritus Sanctus non spirat seu non producit alium Spiritum S., nec tamen caret vitae perfectione seu foecunditate per quam

¹⁾ Nam ideo secunda Persona procedit ut Filius, tertia autem ut Spiritus, quia secunda procedit per intellectum, tertia vero per voluntatem; quae suis locis declarabuntur.

spiratio fit; Pater siquidem et Filius spirant Spiritum S. per affectum charitatis ad invicem, quomodo autem Spiritus Sanctus carebit charitatis affectu erga Patrem et Filium, cum ipse, sicut Pater et Filius, charitas sit? — Jam ex dictis apparet quomodo tres, nec plures nec pauciores, sint in divinitate Personae: nam si ratio habeatur tum simplicitatis operationis et substantiae divinae, tum infinitae virtutis in unoquoque operationis genere, atque infinitae perfectionis in operationis productu, necesse est ut in unoquoque genere productionis unicus sit actus unicusque productus, quoniam sic vita Dei explicatur quantum potest explicari, actiones autem singulae singulique productus earum nequeunt multiplicari, quoniam sunt infinitae perfectionis, et unum et idem cum divina natura. E contrario autem productiones Dei ad extra possunt multiplicari in infinitum in unaquaque specie entitatis, non solum quia per tales productiones vel divinae bonitatis communicationes perfectio Dei non minuitur, sed etiam quia entitates creatae sunt distinctae a divina substantia, id est, non sunt ipsum esse subsistentiae, quod debet esse unicum, sed participationes entis. Intra Deum vero, cum terminus productionis ab esse divino non distinguatur, et similiter actio productiva cum divina substantia identificetur, non potest in uno genere productionis multiplicari productus aut actio productiva; sed sicut impossibile est, ut supra diximus, Filium generare alium Filium, sic impossibile est Patrem generare plures Filios, quoniam generatione unici Filii fit per virtutem divinitatis quantum fieri potest generando: insuper divina simplicitas neque actum generationis nec ejusdem generationis productum, qui a divinitate non distinguitur, multiplicari permittit. Igitur unus tantum productus pro unoquoque genere productionis dari potest; et ideo cum duae sint productiones, una per intellectum, altera per voluntatem, tres debent esse Personae, duae productae et una improducta, quae est principium illarum. Si autem quaeratur quare cum Pater generatione det Filio quantum dare potest, seu communicet ei totam perfectionem suam, nihilominus generationem Filii sequitur productio tertiae Personae quae spiratione procedit; respondetur quod per productionem Personarum divinitas non dividitur in partes nec multiplicatur, eo ipso quod, ut declaratum est, eadem numero natura Patris totaliter communicatur Filio; unde si producto Filio, nec minor est in divinitate simplicitas quam in solo Patre, nec major evadit utriusque perfectio quam unius, idem dicendum est de productione Spiritus Sancti. Itaque cum pluralitas Personarum non obstat divinae simplicitati, nec plus perfectionis sit in omnibus Personis quam in singulis, ad rationem reddendam de numero productionum non nisi virtutum quibus vita divina se exserit vel explicat, habenda est ratio: unde si per operationem intellectualem communicat

Pater Filio quantum communicari potest divinae perfectionis, idem facere possunt et revera faciunt Pater et Filius in productione Spiritus Sancti per operationem voluntatis; quoniam operationes vel virtutes Dei distinguuntur ab invicem, distinctione tamen quae cum divina simplicitate componitur; et hoc satis est ut juxta numerum virtutum multiplicentur productus, sicut Personae sunt singulae verae et perfectae personae, non obstante simplicitate unicae naturae in qua omnes subsistunt. Et sane, vel falsum est, quod nullus catholicus dicet, unicuique generi productionis unum tantum respondere productum intra Deum, vel non admissa distinctione operationum vel virtutum in Deo ipso (non secundum considerationem nostri intellectus tantum) impossibilis evadit dualitas productionum seu tertiae Personae processio. Quin et fundamento in re careret distinctio rationis, sublata distinctione virtutum in Deo ipso; nam supposito quod in Deo una tantum est virtus vel operatio, fundamentum distinctionis mentalis inter virtutes vel operationes Dei aliud esse non potest nisi pluralitas et diversitas productus, ita ut operatio vel virtus multiplex sit denominative tantum, sumpta denominatione a termino, quatenus una cum sit, ob pluralitatem et diversitatem productus sui aequivalet pluribus: atqui impossibile est multiplicari productum, sublata distinctione virtutum in Deo ipso, ut supra ostendimus; ergo si virtutes non distinguuntur in Deo ipso, etiam in nostra mente distingui non possunt, quoniam deest distinctionis fundamentum, quod est pluralitas et diversitas productus: falluntur ergo qui operationes et virtutes distinguunt in Deo secundum productus, non autem secundum seipsas; nam sublata distinctione earum in seipsis, non potest multiplicari productus. Ergo generatio qua producitur Filius, et spiratio qua producitur Spiritus Sanctus, distinguuntur formaliter a parte rei. Nec dicas virtutes non distingui in Deo neque denominative tantum neque formaliter a parte rei, sed virtualiter; non enim datur hoc distinctionis extremum: porro ridiculum est virtutes distinguere virtualiter, siquidem distinguere virtualiter est distinguere secundum diversas virtutes, virtutes autem diversae non sunt nisi formalitate sua, seu nisi distinguantur formaliter; et ideo si una tantum in aliquo ente existere supponatur forma virtutis, non erit in eo distinctio virtutum, quia una erit virtus, non multae; ex una autem forma virtutis non potest nisi unum tantum actionis vel productionis genus prodire, virtus enim vel potentia speciem sumit ab actu, et actus vicissim a termino vel ab objecto.¹⁾

¹⁾ Ad quorum plenioriam intelligentiam distinctionem virtutum in anima nostra consideremus. Admissa animae simplicitate, consequens est potentias seu virtutes ejus non esse ejus generis realitates quae unitae compositum efficiunt; et nihilominus quisque facile videt easdem potentias inter se et ab animae essentia

d) Ex dictis de Personarum productione et divinae essentiae simplicitate palam fit et Personarum trinitatem ad perfectionem divinitatis pertinere, et hanc nihilominus perfectionem non esse majorem in omnibus Personis quam in singulis. Pater sane non est Trinitas, et ideo antecedenter ad processiones in Patre non est Trinitas actu, sed virtute, secundum ejus videlicet foecunditatem, quoniam antecedenter ad processiones Personae procedentes

distingui: distinguuntur quidem ab essentia animae in quantum distinguuntur inter se, id est, cum anima simplex sit, distinctio earum ab essentia animae ex comparatione dignoscitur earum inter se; et vicissim distinctio earum inter se non esset possibilis, si idem essent singulae cum essentia animae. Distinguuntur autem inter se, quia distincti sunt actus ab eis profluentes, potentia namque et actus sunt ejusdem generis: porro, conscientia teste, actus intelligendi specie differt ab actu amandi, et ipsi separabiles sunt, et successive eliciuntur: exercitium igitur virtutis intelligendi non est exercitium virtutis amandi, sed realiter distinguuntur, nam actus vel actio aliud non est quam exercitium potentiae. Verum potentiae considerandae etiam sunt in actu primo seu absque exercitio, vel ut potentiae simpliciter; et sic etiam necessaria est earum distinctio formalis a parte rei, alioquin possibile non esset, altera virtute in exercitio posita, manere alteram in actu primo, quia non multae, sed unica esset in anima forma virtutis. Ex his habes primo distinctionem virtutum formalem a parte rei cum animae simplicitate componi, et consequenter etiam cum simplicitate Dei, nam spiritus est anima sicut Deus, ad cujus similitudinem creata est. Et re quidem vera, si distinctio realis Personarum non obstat divinae simplicitati, quomodo obstat distinctio formalis virtutum? Quid et qualis sit vel quomodo sit haec distinctio formalis, certe concipere non valemus; sed multo minus conciperemus distinctionis realis Personarum possibilitatem in unitate essentiae, si haec distinctio revelata non esset, et etiam post ejus revelationem, quomodo illa sit, plane nescimus. Oportet ergo discernere inter ea de quibus intelligimus et quod sunt et quomodo sunt, (existentiam et essentiam) et ea de quibus per discursum rationis intelligimus quod sunt, sed secundum species imaginationis quas a rebus sensibilibus accipimus, non concipimus quomodo sunt; hujus autem generis est distinctio formalis a parte rei, nam etsi nihil tale invenitur inter ea quae percipiuntur per sensus, per rationem tamen demonstratur necessitas ejus, uti jam praestitimus: porro si praeter distinctionem realem quae in rebus sensibilibus apparet, quaeque inter compositi partes habetur, alia non esset distinctio a parte rei, neganda esset realis distinctio Personarum in Deo, quae comparatur secum identitatem earum secundum essentiam, vel naturae divinae unitatem et simplicitatem, distinctionis enim hujusmodi nullum in creatis invenitur exemplum, est enim ipsa quoddam medium inter distinctionem partium componentium et identitatem vel unitatem in omni sensu, nam de utroque participat extremo; neque enim distinctio Personarum distinctio est in sensu absoluto, cum secundum essentiam non distinguantur, neque identitas earum identitas est in sensu absoluto, cum in personalitate non identificentur. Si ergo seclusa revelatione mysterii, impossibilis visa esset menti nostrae singularis ista distinctionis cum identitate concordia, neque post revelationem innotescit ei modus conciliationis earum; quis affirmare audeat nullam distinctionem cum divina posse simplicitate componi praeter eam quam importat trinitas Personarum? nonne et hanc a Deo removeremus, si per lumen naturale res dijudicanda esset? Itaque si citra motivum auctoritatis Dei revelantis nequaquam mens nostra talis trinitatis propositioni acquiesceret, nec post mysterii revelationem nobis constat cujus conditionis sit haec Personarum distinctio quatenus cum divina simplicitate componitur; temerarium est affirmare, naturalis evidentiae virtute, nullum esse

non existunt. (Antecedenter autem intellige secundum ordinem in vitae divinae explicatione, non secundum successionem aeternitati oppositam.) Profecto perfectio divini esse non solam foecunditatem postulat seu virtutem producendi, sed actualem quoque productus existentiam, ita tamen ut per productionem principium producens non perficiatur, sed perfectio ejus ostendatur in fructu virtutis ejus; unde Pater sibi complacet in Filio tamquam in

in Deo distinctionis genus praeter eam quam importat trinitas Personarum, siquidem et hanc, seclusa revelatione, naturalis evidentia excluderet; praeterquam quod demonstratum est dari in anima nostra distinctionem virtutum formalem a parte rei, salva simplicitate illius: quid enim intellectus nostri ruditas de intima natura rerum capere sufficit, nedum de divinitatis arcanis? Si igitur gravis ratio suadeat (qualis revera est quam exposuimus) aliqualem intra Deum distinctionem esse necessariam praeter eam quae Personarum trinitate continetur, non est timendum ne in aliquo per eam divinae simplicitati derogetur; nam cum nos prorsus lateat quomodo possit in Deo distinctio cum identitate consistere, seu cujus conditionis sit distinctio quae cum identitate componitur, latet pariter quot distinctionis genera possint in divinitate locum habere sine simplicitatis jactura. Cui quidem doctrinae libenter, ut puto, subscribet quisquis inter simplicitatem quae importat perfectionem, et solam compositionis negationem discernere norit. Simplicitas in sensu negativo, seu secundum exclusionem compositionis tantum, nihil dicit perfectionis, quia consistit in unitate seu negatione multitudinis vel pluralitatis, et convenit rei, aptae quidem ut una cum aliis compositum efficiat, sed nihil in se habenti compositionis, ut si talia v. g. supponamus elementa primigenia materiae; quae proinde vocari potest simplicitatis limitationis: simplicitas vero perfectionis tanto perfectior est quanto plus sub ea continetur entitatis, et sic Deus, in quo rerum continetur universitas, est in summo simplicitatis. Ad hanc porro perfectionis simplicitatem clare discernendam ab alia sufficit Personarum trinitatem in summa divinae substantiae simplicitate considerare; per quam sane simplicitatis cum reali distinctione conciliationem manifestum fit nihil nos naturalis evidentiae virtute asserere posse, ob alieujus entis simplicitatem perfectionis, de qualitate distinctionis vel distinctionum realium vel a parte rei, quae in eodem ente locum habere possint, siquidem per naturalem evidentiam, comparando inter simplicitatem et realem distinctionem, nihil aliud novimus quam earum oppositionem vel impossibilitatem, saltem quatenus realitates distinctas ad unum et idem ens pertinentes concipere per phantasmatum imaginationis repraesentationem non valemus nisi tamquam unum per compositionem efformantes; propter quod realem distinctionem inter animae essentiam et operationes intellectus vel voluntatis sine difficultate intelligimus, quia hujus distinctionis extrema concipimus tamquam partes compositi, ex substantia videlicet et accidentibus; sed qualis aut quomodo sit in anima distinctio potentiarum in actu primo, quam ex distinctione actuum specifica admittere cogimur, nequaquam concipimus, quia ob compositionis defectum non est possibilis in phantasia repraesentatio ejus. Insuper ad pleniorum quaestionis hujus dilucidationem seceramus oportet meram conceptuum distinctionem a distinctione a parte rei; nam quamvis distinctio conceptuum qui ordinem realem respiciunt, debet habere fundamentum in re, at non est necesse ut hoc fundamentum sit semper distinctio realium vel formarum in ipsa re, sed potest etiam consistere in diversis respectibus unius et ejusdem realitatis; sicut pannus v. g. dicitur vestis secundum respectum ad corpus quod eo tegitur, ratio autem vestis, quamvis est novus conceptus conceptui panni superadditus, non importat in panno aliquam realitatem praeter entitatem panni simpliciter, etsi realis est (ad ordinem realem pertinens) respectus panni ad corpus quod eo tegitur. Seposita ergo distinctione conceptuum,

splendore gloriae suae. Nequit sane aliquid in divinitate esse quod perfectio pura non sit, nec aliquid Deus habet quod possit non habere; et consequenter omnes aequae Personae necessario existunt, et ad perfectionem divinitatis pertinent: verumtamen cum nihil habeat Persona producta quod a producente non accipiat, atque ita per productionem fiat divinitatis in trinitatem dilatatio ut simul trinitas in unitatem quasi contrahatur essentiae, ideo productionis principium nec aliquid novi potest e productione acquirere, nec quidquam amittere in communicatione totius substantiae suae. Alia insuper est ratio, praeter foecunditatem vitae divinae, cur Personae multiplicari oporteat. Pater equidem non indiget Filio quatenus per generationem Filii aliquid addatur perfectioni Patris; sed utique indiget Filio, si ita loqui fas est, quatenus in eo sibi complacet; cum enim iste complacentiae affectus sit de ratione beatitudinis ejus, si eo careret, non esset perfecte vel infinite beatus. In hoc autem non indigentiam, sed necessitatem agnosce. Indigentia esset, si Filius, quamvis a Patre procedens, esset Deus distinctus ab eo; tunc enim a voluntate Filii Pater haberet, non a natura sua, quod posset frui societate ejus: non autem ita est, sed Pater possidet Filium sicut seipsum quemadmodum et Filius Patrem, quia Filius est in Patre, et Pater in Filio, et ambo unum sunt. Pertinet ergo trinitas Personarum ad perfectionem divinitatis physicam, quatenus ex foecunditate oritur divinae essentiae: pertinet vero ad perfectionem divinitatis moralem propter amorem Personarum ad invicem, tum quia si non gigneretur Filius, non esset locus intra Deum excellentissimae virtuti charitatis exercendae, quae necessario est ad alterum, tum etiam quia tertiae Personae existentia fructus est charitatis ejusdem qua se mutuo diligunt Pater et Filius. —

distinctiones a parte rei ad duo genera revocantur, ad eam nempe quae simplicitati non obstat, qualis est distinctio Personarum in Deo, et ad eam quae inter partes compositi habetur. Jam vero, cum secundum phantasmatum imaginationis repraesentationem seu secundum species quas a sensibilibus accipimus, nihil concipere possimus de distinctione quae cum simplicitate componitur, nisi forte ejus impossibilitatem, aliunde vero talis distinctionis existentia certe nobis constat, saltem ex divina revelatione, propter quam distinctionem divinarum Personarum in unitate essentiae agnoscimus, quam naturali ratione ducti absdubio rejiceremus; horum, inquam, omnium ratione habita, planum est inferre nescire nos omnino quot distinctionis genera vel gradus possint in ente simplici locum habere; nec differe distinctionem realem divinarum Personarum et distinctionem virtutum quam vocavi formalem a parte rei, sub conceptu distinctionis realis, sed secundum gradus qui in ordine distinctionum cum simplicitate consistentium possibiles sint, distinctio enim quam dicimus a parte rei, non est distinctio conceptuum cum fundamento in re, sed distinctio cujus extrema in re ipsa sunt, et ideo distinctio realis. Nihilominus si quis contendat distinctionem virtutum in Deo non esse dicendam distinctionem realem, sed formalem a parte rei, nolo de nomine disputare, quia satis est si virtutes in Deo ipso distinctae agnoscantur, non in conceptibus mentis tantum.

Item ex hactenus enucleatis de divina simplicitate et Personarum productione aequalitas infertur Personarum inter se et similitudo omnimoda, quae in praelaudato etiam Athanasiano Symbolo praedicantur his verbis: „Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales“ et: „Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.“ Circa aequalitatem Personarum nulla est difficultas, illa quippe attenditur secundum perfectionis magnitudinem, quae in singulis Personis est infinita, quia singulae sunt perfectus Deus. Sed aliqua explicatione opus est ut earum similitudo omnimoda concipiatur, non obstante diversitate et oppositione attributorum quibus Personae ipsae dignoscuntur. Pater enim non est ab alio, ab eo autem reliquae Personae procedunt; et haec ita Patris sunt propria ut in nullo sensu Filio aut Spiritui S. conveniant. Similiter Filii proprium est esse ab alio per generationem, quod in nullo sensu dici potest de Patre aut de Spiritu S. Et solius pariter Spiritus S. est procedere ab alio per spirationem. Differunt ergo Personae inter se secundum esse ab alio et a se esse alium: sed considerandum est quod Personarum similitudo intelligitur secundum entitatem vel perfectiones earum, esse autem ab alio aut a se esse alium, et similiter esse ab alio per operationem intellectualem aut per operationem voluntatis nec plus nec minus dicit perfectionis, sed quoad perfectionem Personarum indifferens est. Pater enim quicquid habet perfectionis et quale ipse habet, communicat Filio: ideo dixit ipse Filius: „Omnia quae habet Pater, mea sunt“: nec tamen Filius habet aliquo modo aut aliquo sensu esse patrem, quia in Patre esse patrem in eo consistit quod ab eo procedit Filius; hoc autem ideo non communicatur Filio quia non est aliqua perfectio Patris, sed supponit perfectionem quam habet Pater, et ipse communicat Filio: ideo alias dixi quod si Filius qualis e Patre nascitur, esset Deus distinctus a Patre, seu haberet naturam numero distinctam a natura Patris, ipse quoque generaret alium Filium, siquidem habet totam perfectionem vitae divinae; sed ideo non multiplicatur generatio pro Personarum numero quia una numero vita vivunt omnes Personae, cujus proinde fructus vel productus debet esse unicus in unoquoque genere productionis. Vnde cum Filius non sit fructus spirationis, sed ejus existentia spirationi praesupponatur, ideo est ipse una cum Patre spirationis principium per virtutem seu foecunditatem quam a Patre accepit; et esset pariter secunda Persona principium generationis, si in ordine operationum naturae divinae generatione prior esset spiratio. Nulla igitur est dissimilitudo inter Patrem et Filium, quia eodem modo sunt in utroque divinae perfectiones; quamvis alia sunt attributa personalia Patris, alia Filii, secundum rationem principii et termini productionis.

Et eadem ratiocinatio procedit de Spiritu S. comparate ad Patrem et Filium. — Ecce ergo quomodo tres Personae sunt singulae perfectus Deus, et omnes unus perfectus Deus: quia productio facit Personarum distinctionem, id autem quod productione communicatur, quod est totum esse producentis, constituit Personae productae perfectionem; et sic tota perfectio est in singulis, quin multiplicetur divinitas, quia nec minus potest communicari quam totum, nec divina substantia sui communicatione dividitur. Idem omnino important communicare et producere, nam Personae productio nihil aliud est quam divinae substantiae communicatio, verum alius est, ut ex dictis patet, conceptus communicationis, quae dicitur de substantia, alius vero productionis, quae praedicatur de Persona, non enim divinum esse potest producere semetipsum, sed utique una Persona aliam per divini esse communicationem, ita ut ipsum esse constituat Personam in termino communicationis sui sicut in principio. Vnde cum una numero sit trium Personarum divinitas, una pariter in quovis genere virtutis vel perfectionis confitenda est pro Personis omnibus virtus aut perfectio. Propter quod dicit Dominus de seipso: „Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.“ Et: „Pater in me est, et ego in Patre.“ Vnaquaeque enim ex Personis est perfecte in se, quatenus habet in se absolutam ab alio ente independentiam; sed est simul in aliis Personis propter unius in tribus divinitatis communionem.

e) Jam postquam de trinitate Personarum in unitate deitatis, et vicissim de unitate in trinitate disseruimus, ad dogma generationis Verbi Dei scholastice, quantum nobis desuper datum fuerit, illustrandum accedamus. Generationem ejus, ait Isaias, quis enarrabit? Certe altitudo divinae Majestatis, quae lucem inhabitat inaccessibilem, ab inquirendo deterret; verum ejusdem Majestatis dignatione benignissima quae ad nostram se inclinavit humilitatem, erigitur animus ad investigandum, nam quamvis Deum nemo vidit umquam, ipse tamen Vnigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, similis nobis per Incarnationem effectus, divina nobis enarravit. Quin et ipse ad investigandum nos invitat dum dicit: „Scrutamini Scripturas,“ ad quarum intelligentiam, sub Ecclesiae quidem magisterio, dedit nobis spiritum suum. Itaque jam antequam in carne appareret, ita nobis eloquitur sub Sapientiae nomine Vnigenitus Dei Filius: „Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.“ Et revera Sapientia quam Ecclesiasticus citatis verbis loquentem inducit, est illud ipsum Verbum Dei caro factum quod habitavit in nobis, quod erat in principio apud Deum, et per quod omnia facta sunt. Nam sapientia creata, cum sit accidens vitale creaturae, non

potest esse ante omnem creaturam, id est, creaturarum omnium prima, sed necessario praesupponit existentiam subjecti cujus accidens est, aut cum eo concreatur: unde sapientia quae ex ore Altissimi prodivit primogenita ante omnem creaturam, debet esse ipsa sapientia divina seu increata. Prodivit autem non extra Altissimum, cum creaturae communicari nequeat, sed manens in Altissimo. Intra Altissimum autem ita prodivit ut non desineret esse in principio a quo processit, nec in partes divisa est, quarum altera maneret in principio, altera ex eo procederet. Sed si in principio mansit, nec divisa est, quomodo ex eo prodivit? Item, cum divina sapientia nequeat esse producta, non secus atque divinitas, sed productioni omni, etiam intra Deum, praesupponatur, quomodo prodivit primogenita? et revera solis Personae convenit productionis esse terminum vel principium; in Personae autem processione essentia divina et perfectiones omnes absque divisione communicantur. Quid igitur, in eo forte sensu sapientia divina ex ore Altissimi prodivit quod in processione Personae divinae communicata est? nequaquam, non enim sola ratio communicationis, quae de omni perfectione divina praedicatur, sufficiens esse potest ut sapientia dicatur prodiisse ex ore Altissimi, hisce enim verbis non conceptus communicationis, formaliter saltem et directe, sed conceptus processionis designatur, et proinde non aliquid commune significatur, sed aliquid proprium ad eandem processionem pertinens. Quid ergo dicemus? nam sapientia vere prodivit, testante hoc Scriptura; et tamen sapientia non est processionis terminus, quia hic est Persona distincta a suo principio: quomodo enim ista cohaerent? Sed sciendum est quod prodire ex ore Altissimi duobus modis intelligi potest, in sensu nempe productionis, et in sensu manifestationis vel expressionis: porro persona Filii seu Verbum Dei prodivit ex ore Altissimi in sensu productionis, quoniam existit consequenter a productione tamquam terminus ipsius; sapientia vero Dei nequit esse productionis terminus, sed productioni praesupponitur, et una numero cum sit, communicatur manens indivisa. Communicatur autem in processione Spiritus Sancti non secus atque in processione Filii, sicut omnis perfectio divina; in processione autem Spiritus Sancti non prodivit ex ore Altissimi, sed in sola processione Filii, quoniam hoc est generari Filium seu Verbum Dei, quod est sapientiam Altissimi exprimi vel dici, et in hoc sensu sapientia prodivit ex ore Altissimi. Vnde id quod diximus de sapientia ut sapientia, nequit praedicari de Filio, et vice versa: id est, nec Verbum prodivit ut res dicta, sed ut id quo divina sapientia dicitur; nec sapientia ut producta, sed ut expressa per Verbum productum. Nihilominus cum Verbi prolatio sit sapientiae expressio, et ideo Verbum, ut verbum, sit sapientia expressa, inde est quod sapientia, ut expressa, dicitur

genita seu primogenita: genita quidem, quatenus idem est, ut diximus, sapientiam exprimere et Verbum generare; primogenita vero, relate ad creaturam, quatenus omnia per Verbum facta sunt, in hoc enim sensu dicitur Eccli. 1, 4: „prior omnium creata est sapientia.“ Per hanc sane explicationem, et non aliter, intelligibilis fit Scriptura in divinae sapientiae elogiis enarrandis: nam quaedam de se dicit Sapientia (Eccli. XXIV) quae conveniunt sapientiae sumptae, ut ajunt, essentialiter, ut sunt haec: „Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: gyrum coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi:“ etc. quae quidem sapientiae conveniunt ut sapientia est, non praecise ut expressa in Verbo est, quia sapientiam qua Deus omnia creata disposuit, non ex Verbi generatione habet, sed e contrario Verbum ex sapientia generavit; et nihilominus eadem sapientia, siquidem unica est, ex ore Altissimi se prodiisse dicit primogenitam ante omnem creaturam, quod non de sapientia ut sapientia simpliciter, sed de sapientia ut in Verbo expressa intelligi debet. Nec dicas divinam sapientiam non nisi ut in Verbo expressam esse creatorum causam, eo quod in Evangelio Joannis legamus omnia per Verbum esse facta; nam ideo istud de Verbo dictum est, quia cum e mente Patris prodeat ut imago Paternae substantiae, prodit etiam ut exemplar omnium quae de sua Pater substantia participare posse intelligit: unde omnia per Verbum facta sunt tamquam per causam exemplarem. Causa autem exemplaris non est causa in sensu stricto, id est, non est causa agens, sed dicitur causa in sensu lato, quatenus aliquo modo concurrat ad alicujus rei effectum; non enim est cognitio, sed cognitionis objectum. Itaque Verbum Dei, ut imago Paternae substantiae et exemplar omnis creaturae, causa est creationis quatenus exhibens formas omnium faciendorum; sapientia autem Dei, quatenus sapientia vel cognitio est, causa est directiva efficienter; et proinde de sapientia, ut cognitio est, seu de divina sapientia sumpta essentialiter, intelligenda sunt illa divinae sapientiae elogia: „Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens,“ etc. ¹⁾ Itaque Sapientia quae fecit in coelis ut oriretur lumen indeficiens etc., ipsa est quae prodivit ex ore. Altissimi primogenita ante omnem creaturam, quatenus id quod Pater de se intelligit, id ipsum est quod Verbi generatione expressit; et

¹⁾ In dissertatione de Immensitate Dei dixi (lit. c) scientiam simplicis intelligentiae pertinere ad immensitatem Dei formaliter sub ratione causae exemplaris, quod non videtur cohaerere cum distinctione modo facta inter causam exemplarem et causam directivam efficienter seu scientiam: verum illic de hac distinctione non curavi, sed sub nomine causae exemplaris non modo objectum cognitionis, id est, exemplar, sed cognitionem quoque ipsam comprehendi, quatenus Deus videt in seipso omnia quae creari possunt. Loquendo autem in rigore metaphysico, tenenda sunt quae hic in textu asserui circa causam exemplarem et causam directivam efficienter.

sic sapientia sumpta essentialiter, seu sapientia ut sapientia, providit ex ore Altissimi, quatenus per Verbi generationem dicta seu expressa est; id autem quod providit ut distinctum a processio- nis principio, est sapientia sumpta notionaliter, seu sapientia ut expressa, et non quidem sub ratione sapientiae, sed ut terminus expressionis; et hoc est Verbum seu Filius Dei, qui expressione sapientiae genitus est. Vnde jam liquet quo sensu Filius dici possit sapientia Patris. Non est Filius sapientia Patris quatenus Pater intelligat per Filium: quomodo enim sapientia e Patre prodiret, si ipse ante genitum Filium ea careret? Deinde si Filius esset sapientia per quam Pater intelligit, jam non esset proprie Filius, id est, persona, sed accidens Patris, utpote distinctus ab eo. Neque est Filius sapientia Patris, sumpta sapientia in sensu absoluto, quippe in quo nihil peculiare dicit sapientia de per- sona Filii, cum tribus Personis aequè conveniat. Recte autem dicitur Filius sapientia Patris in sensu relativo, quatenus Filius est verbum cujus prolatione exprimitur intellectio Patris: sicut enim in nobis idem est quod mente percipitur, et quod verbo orali significatur, ita id quod Pater per Verbum dicit, id ipsum est quod de se intelligit

(Continuatio in fasc. seq.)

Das Kloster Disentis vom Ausgang des Mittelalters bis zum Tode des Abtes Christian von Castelberg, 1584.

Von Johann Cahannes, stud. theol. aus Brigels (Graubünden).

(Schluss zu Heft I. 1899, S. 83—101.)

3. Castelberg als Verwalter. Des Abtes politische Stellung.

In richtiger Einsicht, dass zu einem dauernden Gedeihen des Stiftes eine solide materielle Grundlage nothwendige Bedingung sei, vergass Christian von Castelberg über seinen anderen Beschäftigungen nicht die Sorge für die Oekonomie. Einen entscheidenden Schritt hierin bezeichnet die erwähnte Beseitigung der Kastvogtei; nun konnten die Einkünfte direct in die Hände des Abtes gelangen. Nichtsdestoweniger dürfen wir uns die Lage des Stiftes in dieser Beziehung nicht zu rosig vorstellen. Die vorausgehende Periode hatte die Untergebenen zu sehr einer pünktlichen Erfüllung ihrer Pflichten entwöhnt.

Zuerst sehen wir den Abt gegen verschiedene Urserer vorgehen, welche seit einiger Zeit die Zahlung der schuldigen Zehnten eingestellt hatten. Im Jahre 1569 kam eine Vereinbarung zu stande, bei welchem Anlass Castelberg die Ansprüche des